

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XXIII. Continens Historiam Alterius Diei Post Reditum Christi Ex  
Deserto, Et De Duobus Discipulis Batistae Sequentibus Christum, Johan.  
I.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

1. Christus est victima tollens peccatum. 2. ut beneficium illud expiationis hominibus innotescat, distribuatur & applicetur, ideo institutum ministerium Verbi & Sacramentorum, per quod Christus conferat Spiritum sanctum, qui corda illuminat, convertit, & fidem accendit, ut Christum agnosceret & recipere possint. Et hinc manifestum est, quam illustri sit descriptio officii Christi mediatoris in hoc loco. Nos fundamenta tantum notamus.

Notandum præterea & hoc est, quod Baptista inquit: (Et ego vidi,) et postea per quadraginta illos dies (testificatus sum, quod hic sit filius Dei.) Videtur enim hic sensus esse: quod Johannes antea simpliciter docuerit, Messias fortior me est, Matth. 3. v. 11. Item prior me est, Ioh. 1, 15. post manifestationem verò in Baptismo factam, clarius cœperit de persona Christi concionari, voce paterna edoctus, quod sit filius Dei, & quidem unigenitus. Fuerunt enim certi quidam gradus revelationum & agnitionis usque ad Christum manifestatum. Et apparet,

Joannem plurimum hac revelatione de persona Christi delectatum: aliquoties enim postea repetiit hanc doctrinam, quòd Christus sit filius Dei.

Hæc sunt acta primi diei, cum Christus ex deserto ad Johannem rediisset. Ad illam verò tam illustrem Baptistæ testificationem de Christo præsentem, nullus ex tota turba legitur, illo quidem die, ipsum secutus, cum tamen antea sæpè ostendissent, se planè flagrare desiderio Messia. Sed cum præsens ipsis ostenditur, nemo ex tanta frequentia id curat. Tale est initium & talis fors regni Christi. Nisi dicatur, Evangelistam non annotasse quid turbæ fecerint, ostenso ipsis præsentem Messia: vel, quòd homines non voluerint de re tanta citò ad primam indicationem, nisi re diligentius explorata, & certius probata & cognita aliquid statuere, quod ad fidei ingenium accommodari posset. Non enim subitanea, levis, & temeraria assensio est fides, sed ελεγχος, Ebr. 11. vers. 1.

CAPUT XXIII.

CONTINENS HISTORIAM ALTERIUS DIEI POST REDITUM CHRISTI EX DESERTO, ET DE DUOBUS DISCIPULIS BAPTISTÆ SEQUENTIBUS CHRISTUM, JOHAN. I.

RATIO ORDINIS.

**H**ANC historiam ordine sequi posse præcedentem, manifestum est: Dicit Evangelista: τῇ ἐπαύριον (Postero die.) Ac licet disputari posset, Ebrais heri significare quodvis tempus præteritum: hodie tempus præsens: & cras quodvis tempus futurum, aut insequens: licet intervallum aliquod temporis interponatur, aut intercedat, Heb. 13, 8. ut hoc loco τῇ ἐπαύριον intelligi possit de die aliqua, quæ secuta fuerit præcedentem historiam, licet ea non proxime sequens aut continuò postea fuerit,

sed aliquot dies intercesserint. Sed quia nulla alia historia est, quæ inter hanc & præcedentem interferi possit aut debeat, simplicissimum est verba, sicut sonant, accipere: quòd postero die, qui proxime secutus fuit præcedentem historiam, hæc acciderint. Decuit enim Baptistam testimonia sua, Christum jam præsentem monstrantia, subinde inculcare & ingeminare, ac brevi tempore sæpius repetere, cum quidem CHRISTUS non diu mansurus esset apud Baptistam, ne res ex composito geri videretur.

HISTORIA SECUNDI DIEI POST REDITUM CHRISTI EX DESERTO, ET DE DUOBUS DISCIPULIS BAPTISTÆ SEQUENTIBUS CHRISTUM, JOH. I.

- 35. Τῇ ἐπαύριον πάλιν εἰσήκει ὁ Ἰωάννης, καὶ ἐκ τῶ μαθητῶν αὐτοῦ δύο.
- 36. Καὶ ἐμβλέψας τῷ Ἰησοῦ παρεκλάσθη, λέγει· Ἴδε ὁ ἀμνὸς ὁ Θεοῦ.
- 37. Καὶ ἤκουσαν αὐτοῦ οἱ δύο μαθηταὶ λαλῶντες, καὶ ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ.
- 38. Στραφείς ὁ Ἰησοῦς, καὶ θεασάμενος αὐτοὺς ἀκολουθοῦντας, λέγει αὐτοῖς·
- 39. Τι ζητεῖτε; Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ· Ῥαββί, (ὃ λέγεται ἐρμηνευόμενον διδάσκαλε,) πῶς μὲν εἶ;
- 40. Λέγει αὐτοῖς· Ἐρχεσθε καὶ ἴδετε· venerunt, viderunt que πῶς μὲν, καὶ παρ' αὐτοῦ ἐμῆσαν τὴν ἡμέραν ἐκείνην, ἠραρὶ δὲ ἕως δεκάτης.

- 35. Postero die iterum stabat Johannes, & ex discipulis ejus duo.
- 36. Et intuitus Jesum ambulantem, dicit: Ecce agnus ille Dei.
- 37. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum.
- 38. Conversus autem Jesus & conspicatus eos sequentes se, dicit eis:
- 39. Quid quaritis? qui dixerunt ei, Rabbi, (quod dicitur, si interpreteveris, Magister,) ubi habitas?
- 40. Dicit eis: venite & videte: venerunt, viderunt que ubi maneret, & apud eum manserunt die illo, hora autem erat ferme decima.

Harm. Tom. I.

S 2

Peria

Quartum hoc testimonium est Baptista de Christo manifestato, & secundum de Christo praesente. Ac ordo testimoniorum observetur. Primo die, post reditum ex deserto, Baptista Christum ostendit populo. Altero die discipulos suos ablegat seu deducit ad Christum: ut se relicto, illum, cui ipse viam praeparasset, sequerentur. Traditurus ita Christo Domino populum praeparatum, & Synagogam adducturus Christo: ut fiat Ecclesia N. Testamenti. Historia igitur secundi diei ita describitur. Evangelista dicit: Joannem stetitisse comitatum (*duobus discipulis.*) illo igitur tempore non habuit circa se frequentiam populi, nec habuit publicam concionem, nec baptismum tunc administravit: sed discipulos quasi privata disciplina instruit. Vocantur autem *μαθηται* aliquando generaliter omnes ejusdem doctrinae auditores & confessores. Sicut Act. 11, 26. priusquam appellatio Christianorum coepisset, vocabantur omnes discipuli. Saepè verò ponitur discrimen inter auditores & discipulos, ut Matth. 14, 19. dedit panes discipulis, discipuli verò turbis, quae antea verbum à Christo audierant. Matth. 12, 49. cum frequens turba ipsum audiret, extendit manum super discipulos. & Matth. 22, 16. Phariseorum discipuli mittuntur cum Herodianis. Et discipulorum Johannis etiam postea mentio fit, Joh. 3, 25. Matth. 9, 14. & 11, 2. qui non simpliciter tantum auditores Baptista fuerunt: sed qui frequentius ipsum sectati, & familiarius ab ipso instituti fuerunt. Et tales videntur hi duo fuisse, Johannes enim à vulgari auditorio tunc remotus, duos hosce adjunctos sibi habuit. Et non multum sane refert, si intelligantur fuisse auditores, siue discipuli: nisi quòd ostenditur, Baptistam noluisse discipulos apud se retinere, sed Christo adducere, atque quos praeparaverat ipsi, ut minister Domino, tradere. Praeterea contra Anabaptistas bonum Argumentum hinc extruitur: Christum scilicet non omnino rudes & ignaros doctrinae fecisse Apostolos. Andreas enim, Petrus & Philippus antea in Schola Baptista, tanquam discipuli fuerant instituti: sicut postea de electione Apostolorum hoc plenius declarabimus. Et oportebat Apostolos etiam de Baptismo Johannis posse testari, Act. 1, 5. Ideò ex discipulis ejus Christus quosdam vocavit, & quidem primos: ut ostenderet auditores Johannis debere fieri Christi discipulos.

Cum igitur Johannes duos ex discipulis suis secum haberet, ac (*videret Jesum ambulantem*) *ἐμβλέψας αὐτῷ*, quod significat oculis fixis, accuratius, cum admiratione, cum gaudio, seu complacentia aliquid intueri: coepit ad duos illos discipulos repetere pridianam concionem. Evangelista verò tantum initium ponit. (*Ecco agnus Dei.*) Generalis enim observatio est, quòd sacri scriptores tantum capita concionum annotarunt: quae verò vel antea vel alibi descripta extabant, brevi tantum repetitione notarunt. Ut hoc loco Evangelista ponens initium, ecce agnus Dei, significat, totam concionem antea descriptam, repetitam fuisse. Atque ita Baptista re ipsa praestitit, quòd Paulus scribit Phil. 3, 1.

Eadem vobis scribere me quidem non piget vobis verò necessarium est, praesertim quando auditores prius dicta vel non satis intellexerunt, vel non satis in doctrina confirmati sunt. Duo verò illi discipuli, cum audiret, Joannem concionem prioris diei magna cum asseveratione de persona Iesu repetere, & illa repetitione confirmare: cum quidem antea didicissent, Johannem populum instructum Domino parere, Luc. 1, v. 17. & praeparatum velle ad ipsum Dn. Messiam mittere. Relicto igitur Johanne secuti sunt Iesum Messiam. Observetur autem, qua ratione filius Dei & qualia colligat prima seminaria Ecclesiae suae: ex illis scilicet, qui à Johanne baptismo poenitentiae praeparati sunt. Notandum est & hoc: Discipulum Christi non hoc esse, si animam habeas sectandi, vel ostendas te ipsum desiderio teneri, non autem audias ipsum, nec doctrinam ipsius agnoscas, nec sequaris. Ideò duo discipuli ante omnia quaerunt à Christo, ubi habeat suum hospitium: ut sc. possent ipsum sectari, & doctrinam illam, quam, sicut Baptista dixerat, è sinu patris enarraturus venerat, audire & discere, ut ita à primis initiis, in Baptista schola perceptis, ad veram & solidam agnitionem proficerent. Ut autè agnoscas, quam promptè Christus venientes ad se, vel cupientes venire, suscipiat, cum videret duos illos, in quibus ipse desiderium illud sui per Spiritum S. excitaret, sequentes, praevnit, & prior eos alloquitur, (*Quid queritis?*) Unde notari potest haec regula: quòd Christus illis, qui se volunt sectari, hanc primam quaestionem proponendam docet: Quid queritis apud Christum vel in Christo? Pharisei enim politicum regnum, opes & potentiam, vulgus Epicuream licentiam & satiritatem in Christo quaerebant.

Duo igitur illi discipuli vocantes Christum (*Rabbi*) ostendunt, se ipsum agnoscere pro Propheta illo, Deut. 18, 18. ac cupidos se esse doctrinae ejus. Quia verò imminēbat vespera, ne alieni temporis ipsi molesti essent, quaerunt de ipsius hospitio, ut sc. postea ipsum accederet, & ex familiari ipsius colloquio plenius institui possent. Iesus verò non rejicit ipsos in alterum diem, vel in tempus commodius: sed inquit: (*Venite & videte.*) Non enim per procrastinationem de die in diem rejicienda sunt pietatis negotia, Il. 28, 22. Et Rabbi quidem in genere significat principem, dominum, praefectum, magistrum. Evangelista igitur addit interpretationem, ne de politico principatu intelligatur: sed de magistro, qui aliis docendis praefectus est.

Ostendit autem haec historia, Christum etiam post manifestationem non usum familiari seu domestica conversatione Baptista. Habet enim hic peculiare hospitium, quòd etiam familiaribus Baptista ignotum est. Et Evangelista quidem dicit, Baptistam per biduum illud bis vidisse Iesum non autem cum ipso, sed de ipso locutum. Et Iesum mox quarto die parasse abitum in Galilaeam. Nec postea leguntur congressi aut colloqui esse: quòd mirum videri possit. Sed sine dubio ideò factum est, ne testimonio Johannis sinistra aliqua suspicione auctoritas detraheretur

tur, quasi ex composito res ita inter duos illos gereretur.

Addit autem Evangelista Chronographiam, fuisse tunc (*horam quasi decimam*), sc. ab ortu solis, ita ut duæ tantum horæ superfuissent ad vesperam. Non potuerunt igitur ad Johannem reverti, sed illo die manserunt apud Jesum in hospitio ipsius. Suavissima autem sine dubio fuerunt colloquia, quæ Christus cum duobus illis discipulis, dum apud ipsum in hospitio manerent, habuit. Ex verbis verò Andreae, in colloquio cum Simone, colligimus, summam fuisse de agnitione Messia. Atque observandum est, quod Christus dicit: (*venite & videte.*) Multi enim audiunt de Christi persona & officio ejus, & non contradicunt: ostendunt etiam, se non alienos esse à doctrina Christi & Ecclesia ejus: sed ulterius non progrediuntur. Christus igitur his duobus respondet: debere ipsos non tantum quærere & scire ubi habitat Christum, sed inquit: venite & videte. Cum-

que jam Christus in Ecclesia sua habitat, facilis est accommodatio doctrina.

Et hoc est initium & seminarium Ecclesiæ, quæ Christus suo ministerio cœpit colligere. Duo sunt, qui ipsi sequuntur, & pro Messia agnoscunt, sed quales quæso? Unus est Andreas: qui postea cum fratre Simone legitur per totam noctem in piscatione laborasse. Alterius nomen nõ exprimitur: sunt, qui existimant, ipsum Joannem Evangelistam fuisse, qui nomen suum non solet exprimere. Et conjectura non levis est, quòd tã accuratè notat, quæ fuerit hora diei, quando ad hospitium Christi venerunt. Et tota descriptio primi capitis ostendit, Evangelistam illis omnibus, quæ de Baptista & de Christo narrat, interfuisse. Non igitur à vero abhorret, alterum illum discipulum fuisse Joannem Apostolum. Atqui Joanne ille postea invenitur cum patre in navi sarcire re-tia. Tam humile igitur fuit initium Ecclesiæ, quæ sua prædicatione filius Dei cœpit colligere.

CAPUT XXIV.

CONTINENS DESCRIPTIONEM SIMONIS PETRI PRIMO AD CHRISTUM ADDUCTI, TERTIA DIE POST REDITUM CHRISTI EX DESERTO, JOH. I.

RATIO ORDINIS.

**L**VANGELISTA uno quasi continuo textu hanc historiam præcedenti annectit, unde Ephiphanius existimat, eadem die utrunque factum, & de Andrea, & de Petro. Sed circumstantiæ manifestè ostendunt, non eadem die, qua Andreas Christum secutus fuit, adductionem hanc Petri factam. Tunc enim dies inclinata

per duas tantum horas à vespera aberat. Et illo die Andreas cum suo comite mansit apud Christum in hospitio, sicut textus expressè dicit. Non igitur illo die, sed vel postero, vel aliò aliquo sequente die, Andreas, & de Petro. Sed circumstantiæ manifestè ostendunt, non eadem die, qua Andreas Christum secutus fuit, adductionem hanc Petri factam. Tunc enim dies inclinata

HISTORIA DE SIMONE PETRO PRIMUM AD CHRISTUM ADDUCTO, QUOD ALTERO DIE POST ANDREÆ VOCATIONEM FACTUM EST, JOH. I.

- 41. Ἦν Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρος, εἷς ἐκ τῶν δύο τῶν ἀκουσάντων τὸν Ἰωάννην, καὶ ἀκολούθησαν τὸν αὐτὸν.
- 42. Εὗρετο καὶ ἔτι πρῶτον τὸν ἀδελφὸν τῶν ἰδίων Σίμωνα, καὶ λέγει αὐτῷ· Εὐρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὃς ἐστὶν μεθερμηνεύμενον ὁ Χρυσός.
- 43. Καὶ ἤγαγεν αὐτὸν πρὸς τὸν Ἰησοῦν. Ἐμβλέψας ἢ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, εἶπε· Σὺ εἶ Σίμων ὁ υἱὸς Ἰωάννα· σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἐρμηνεύεται Πέτρος.

- 41. Erat Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Johanne, & secuti fuerant eum.
- 42. Reperit hic prior fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam, quod est, si interpreteris, Unctus.
- 43. Et adduxit eum ad Jesum: Intuitus enim Jesus dixit: Tu es Simon filius Jonæ: tu vocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris, lapis.

Periocha hujus Historiæ.

**E**vangalista jam digreditur à Baptistæ testimoniis, & porrò describet, quomodo Christus ipse suis dictis & factis comprobaverit, se esse Messiam. In hac verò historia describitur, quomodo lux agnitionis Christi latius se cœperit diffundere, & Christus paulatim pluribus innotescere, dum alius alium ad cognitionem ejus invitat & adducit. Vera enim & viva agnitio Christi hoc habet peculiare &

proprium, quòd bonum hoc aliis non invidet, sed vellet omnibus esse commune. Et quàm efficax fuerit doctrina Christi, in duobus præcedentis diei discipulis, hæc historia ostendit. Andreas enim mox sequente die fratrem suum Simonem, non in Galilæa, ubi domus ipsius erat, sed apud Jordanem invenit: unde rectè colligitur, Simonem unà cum fratre Andrea, propter expectationem Messia ad Baptistam

Harm. Tom. I.

